



SViterus ille ex Suetia regione Septentriona-
 li, cum aliquot fortissimis uiris Cymbrorum
 exercitum secutus fuerat. Erat enim insigni cor-
 poris & animi uirtutibus præditus. Itaque Cymbro-
 rum reges eū cū suis copijs hinc inde in præsidia
 collocarunt, ut omnia à tergo ipsis tutiora essent.
 Cum autem Suiterus suorum confœderatorum
 stragē intellexisset, sese cum Schegio fratre in Hel-
 uetiam recepit, atque eam partem occupauit, quæ
 inter Tigurinos & Tugianos sita erat. Quoniam
 autem fratres inter sese discreparent, quo nomine
 noua illa terra appellanda esset, tandem inter eos
 conuenit, ut ipsi duo inter sese armis decertarent,
 atque uictor eam regionem possideret, & pro uoluntate nomē imponeret. Ea
 conditio cum utrisque placuisset, infestis armis populo spectante cōcurrerunt.
 Ibi Suiterus egregie uicit, atque fratrem suum prostratum superauit. Itaque
 eius regionis princeps factus, eam de se Suitiam appellauit. Id quod prius eti-
 am Romulus post Remum fratrem occisum Romæ fecisse legitur. Postea
 Suiterus cum finitimis foedus iniit, terram illam ædificijs excoluit, atque suos
 subditos, qua pollebat prudentia, legibus & armis optime instruxit, ita ut in-
 ter Gallos à Iulio Cæsare pugnacissimi haberentur. Accidit aduentus ille Sui-
 teri in Heluetiam circa annum mundi termillesimum octingentesimum quin-
 quagesimum quintum. G. Tschudi. Ioan. Stumpff. lib. 4. Heluet.